Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2251
Quelle:
Copyright:



Viri, de quibus teste ipso *Husso* edit. *cit. fol.* 255. p. 2. in *Missa* a *Teutonicis* blasphemeconficta cantabatur: *Stanislaus genuit Petrum de Znoyma, et Petrus de Znoyma genuit Paletz et Paletz genuit Hus.* Sed nempe Viri hi *Hussum* non in ultima secuti. *Paleczii Scriptum* praesens ἀνέκδοτον habeo. Finit illud: *qui eam in cunctis Ecclesijs protulisse cognoscitur. Habetur Dist. XXII. cap. Omnes &c.*

V. *fol.* 96. p. 2. Ventilantur II. *Quaestiones* ad eadem Religionis dissidia pertinentes, videlicet: *Vtrum possit summus princeps in executione sui mandati a minore principe impediri.* Item: *An quis sit Dominus, sit Praelatus, sit Episcopus, dum est in peccato mortali.*

VI. *fol.* 111. Excerpta varia e Scriptis *Joh. Hussi*, praecipue e *Sermonibus Synodalibus*, qui extant Edit. *suprac.* P. II. ubi tamen non invenio, quae in *Cod.* nostro leguntur super C. XII. *Act. Apost.* Inter alia hic ridicule de *Petro calceante se caligas suas.* v. 8. *Ex quo videtur quod petrus non fuit de ordine fratrum minorum, nec habuit cappam nec cucullam superfluam ut habent hodie fratres alij* &c.

VII. *fol.* 118. p. 2. *Protestaciones Magistri Johannis Wycleff.* Breviter extractae ex ejus Scriptis *in Cruciatam, de Universalibus, super Matthaeum*, et *de Potestate Papae.* Item alia Excerpta ex *Augustino de vita christiana* et *Rabani M.* L. I. *de Laudibus S. Crucis* minoris momenti.

VIII. *fol.* 125. *Expositio Canonis.* Initium: *In virtute sancte crucis et sacramento altaris magna est conuenientia et efficacia* &c. Finis: *Multo quidem mirabilius est substantiam panis et vini verum corpus et sanguinem fieri quam nos in sanctorum admitti consorcium.* Autorem ignoro, cui tamen nihil cum *Husso* aut *Wicleffo* negotii esse, vel e Miraculo in Ecclesia *Praemonstratensium* facto constat, quod narrat *fol.* 127. p. 2.

IX. *fol.* 133. *Joh. Wicleffi Liber de Officio Pastorali.* Incipit: *Cum duplex debeat esse officium christiani* &c. Et finit: *in hoc docet se esse proditorem regum temporalium et Christi nostri domini regis regum.* Additur: *Explicit tractatus benedicte memorie magistri. Jo. wycleff doctoris ewangelici anno domini M°. CCCC°. X°.* Meminere hujus Tractatus *Balaeus* et *Tannerus*, quem tamen typis editum nunquam fuisse putem. In *Bohemia*, ut solebat, descriptum prodit *Nota* marginis ad vocem *Vitulamen* mox linea 3. *Vitulamen dicitur in vite ramus infertilis, bohemice vocatur pazuch.* Alii scribunt *Pazauch.* Confer, si lubet, *Ducangii Glossar.* v. *Vitulamen.* Adi *Indicem.*

X. *fol.* 157. *Incipit tractatus beati bernhardi de moribus adolescentum.* Initium: *Hortatur quidem timidam mentis mee impericiem* &c. Finis: *totisque uiribus id sibi diripiunt.* Deflorata potius

sunt,